En! gravissimorum consiliorum medicorum *septenarium*, (§. 14- 20.) quem velut *sacrum* ullo modô tangere, temeritatis foret, mea saltem ex parte. Equidem ex iis haud esse volo, qui juvenes senum cogitata præmaturè dijudicanda sibi sumere, quandoquidem haud verentur. Si quæ esset communicatis fortè addenda *epicrisis*, illam altioris subselii viris relinquo perlubenter. Quod meum est, hic tantùm molior, specimen *disquisitionis* substrati morbi *academicæ*. *Academicæ* repeto. Alia enim est ejusmodi *disquisitio academica*, alia *clinica*



ca & ad præſentes uſus *per individua* directa, licet hæc ex iſta ſua ſemper petat principia. Hac itaque *inſtituti* mei *ratione* nunc (§. 1.) ſubjungenda eſt *tractationis* hujus

Pars III.
SPECIALIOR DICTAE PHTHISEOS HAEMORRHOIDALIS DISQVISITIO.

§. 22.

Mireris multos tot hodienum de morbis verba facere, tot circa iſtos conſilia dare, apud quos tamen multoties ne ipſum quidem *morbi nomen*, nedum genuinum illius *conceptum*, circa quem verſari videntur, deprehendas. *Prima* hæc tamen ſunt *artis noſtræ fundamenta*, ſine quibus vacillat non ſolùm, ſed cadit planè, reliqua omnis, tàm *theoria* noſtra, quàm *praxis*. Quæ enim, quæſo! cognitio aut cura, illius *morbi*, quem vel quoad *primam* ipſius *notionem* neſciunt, quemve ſuo ſæpe *nomine* germanô ne quidem cognitum habent. Tanti momenti eſt ea *Pathologiæ* noſtræ pars, quam *Noſologiam* dicimus. Ea ipſa enim nobis tradit *morborum* germana *nomina* & *cognomina* eorumque genuinas *notiones* & cujusvis inde pendentes ab omnibus aliis *differentias*, quas dicunt *ſpecificas*, per *individua* tandem in ipſa *praxi* ſolidiori diſcernendas. Conf. *Excellentis. Dn.* PRAESIDIS nuper ventilatam *Diſſert. de Polyæmiæ noſologia.* §. 11. & 12. *p.* 9.

§. 23.

Phthiſeos adeò facilem atque planum *terminum* atque *conceptum* in hunc usque diem apud multos *æquivocum* eſſe, quis crediderit? Nihilo tamen ſecius haud paucos audias, qui eos duntaxat *phthiſicos* pronunciant, qui pulmonum quadam labe contabeſcunt. Verùm vel ipſum vocabulum aliud jam innuit. Sed *in terminis*, obvertis tritiſſimô dicteriô, *erimus faciles*. *Erimus*, regero, ſin id permittit eorum *aptitudo*, *artis characteriſticæ* legibus conveniens. *Erimus*, addo, ſi legitimæ ipſis aſſignatæ fuerint *notiones*. Oppoſitô enim caſu *in terminis erimus difficiles*, idque jure meritoque.

§. 24.

§. 24.

Hisce prælibatis (§. 22, 23.) ad *phthisin hæmorrhoidalem*, nunc explicandam (§. 21.), me accingo. Quod Græcis *phthisis* audit (à verbo: φθίνω, tabesco, consumor,), Latinis vocatur *tabes*. *Tabes* distingui debet à *macie*. *Macies* enim haud semper est *morbosa*. *Morbum* verò semper innuit *phthisis*, seu *tabes*. *Macilenti* multi esse possunt, & *temperamenti*, & *ætatis*, ratione, qui idcirco non sunt *tabidi*. *Macilenta senectus* propterea non minùs incongruè obiter *tabida* diceretur, ac ipsa *senectus*, *morbus*. *Marasmus senilis* vulgò quidem *morbis* accensetur, sed ex errore. Morbo profectò non laborant, qui per *ætatis* & *temperamenti* rationem juxta naturæ suæ regulas gracilescunt. A priori rigorosiùs id demonstratum legitur in Exc. Dni PRAESIDIS diss. quâ *ophthalmiologiæ specimen* exhibetur, §. 94. Idem jam sentiebat cel. CHRIST. VATERUS in *diss. de ægris phthisicis & tabidis recte judicandis & curandis. Wittemb.* 1725. qui *thes. I. non intelligimus*, inquit, *per phthisin, seu tabem, quamcunque, neque naturalem, qualis in ætate senili - - - contingit, sed plane præternaturalem consumtionem.*

§. 25.

Rectè inde (§. 24.) *macies* dividitur: in *a*) *naturalem* & *b*) *præternaturalem*. *Macies* in *genere* dicit qualemcunque corporis animalis consumtionem, à qua igitur *tabes*, seu *phthisis*, differt, ut *species* á suo *genere*. *Macies* nempe *naturalis* est macies, seu consumtio corporis animalis ex illius natura eveniens. *Phthisis* autem, seu *tabes*, *objectivè* sumta, est macies, *subjectivè* dicta, emaciatio, qualiscunque præternaturalis, undecunque illa præter naturæ regulam suum traxerit ortum.

§. 26.

Termini: *phthisis*, *pthoe*, *tabes*, duplici sumuntur *significatu*, *latiori* scilicet & *strictiori*, quæ *distinctio* omnino notanda ad evitandas in hac doctrina aberrationes & logomachias. Minùs vero apti videntur *angustiores* illi *conceptus*. Præferendus omnino est *latior significatus*, qui qualemcunque extenuationem & consumtionem morbosam involvit. *Phthisis* enim est *phthisis*, *tabes* est *tabes*, qualemcunque illa habuerit cau-

 sam.

ſam. Res ipſa hanc nobis obtrudit dicendi *latitudinem.* Et reapſe conſentiunt ii Pathologi omnes, qui determinatiùs loqui ſolent *v. gr.* de *phthiſi pulmonali*, *abdominali* &c. DOLAEVS *L. II. prax. C. IV.* profitetur, inter alios phthiſicos plusquàm octodecim à ſe diſſectos fuiſſe, in quibus radicale vitium non in pulmonibus ſed aliis partibus invenerit. Plura illuſtriora *exempla* leguntur in BONNETI *ſepulchreto*, qui propterea *L. II. Sect. VII. de tabe in genere & pulmonum obſ. I. p. 545*, *quoties*, inquit, *vidimus à ſcirrho in liene, hepate, pancreate aut meſenterio excitato, ab inteſtini cujusdam aut etiam lienis, uteri aut veſicæ ulcere vel tumore cancroſo, aut alio cacoethe, absque notabili pectoris aut pulmonis vitio atrophiam ſucceſſiſſe &c. Phthiſin* aſſerit BARBETT. *L. II. prax. de hoc adfectu, pulmonum ſemper ulcus habere, vel requirere, non admitto, etenim é cadaverum plurimorum ſectione & experientia contrarium didici. Sæpius enim*, pergit, *vidi, quod malum hoc in viſceribus primarum viarum malè adfectis generetur, quando ſolum ab humoribus viſcidis obſtruuntur, ut alimenta etiamſi optima, non rite digerantur, depurentur, conſequenter parum, vel nihil, ad ſanguinem, multo minùs ad partes nutriendas, pervenire poteſt, reliquum per alvum aliasque vias rejicitur. Hoc ſi diutius durat, nec debita in tempore medela ad vias illas obſtructas dirigatur, ſucci illi maximè heterogenei neceſſariò vappeſcunt, putreſcunt, conſequenter acrimoniam plus minus acidam, acido ſalſam, muriaticam contrahunt, unde corpus non ſolum nutrimentô ſuô defraudatur, ſed viſcera ipſa obſtructa ſenſim eroduntur, & exulcerantur.* WILLISIVS *pharm. rat. P. I. S. I. C. 6.* teſtatur, *ſe plurimorum phthiſicorum cadavera aperuiſſe & pulmones ab ulcere planè immunes vidiſſe.* SCNEIDERVS *L. IV. de catharr.* ægrum citat, qui inter copioſas ſanguinis & puris exſpuitiones demortuus, in ſectione pulmones planè integros, hepar vero exulceratum habuit. Adoleſcens ille 18. annorum apud LENTILIVM antea robuſtus & lacertoſus poſt hauſtus frigidos phthiſicus factus & totius corporis tabe enecatus in ſectione ventriculum & inteſtina fere ſola marcida & quaſi papyracea exhibuit. Qualis ſtatus in aliis ex dyſenteria, ad atrophiam reductis, obſervatur.

Diemer-

Diemerbroek diſſecuit militem Scotum tabe enecatum, in cujus cadavere ſine ulla pulmonum noxa meſenterii glandulas tumidas, duras & materiâ caſeosâ repletas viſæ ſunt. Simile exemplum refert de puero nobili, qui antea torminibus abdominis adflictus tandem tabe confectus obiit, in quo tamen pulmones bene conſtituti erant. Nonne ergo multi ſanitati reſtitui potuiſſent poſſentve adhuc, qui pro pulmonariis habiti & tamen alio, non immedicabili, vitiô laborantes perverſô antiphthiſicorum pectoralium uſu, ut ita loquar, miſere h. e. medice expectorati ſunt. Audi *notabile exemplum*, quod DIEMERBROCCIVS *in prax. med. obſ. LXVII.* conſignavit. Vir illuſtrioris ſortis & florentis ætatis ſingulis noctibus ſudore fere diffluebat, cum præcordiorum anguſtiis, tuſſi, ſputo copioſo, febri lenta aliisque ſymptomatibus. Quatuor Medici celebriores vera phthiſi pulmonari eum laborare ſtatuebant & pro derelicto pronuntiabant. Laudatus vero auctor in conſilium vocatus curam ex aliis & melioribus principiis inſtituebat & ſolis amaris, balſamicis, roborantibus & blande abſtergentibus atque evacuantibus à deſperato hoc malo, præter omnium expectationem, ægrum liberabat planè. Væ *phthiſicis* illis, recte hic exclamamus cum LVDOVICO in *pharmac.* qui ventriculi aliorumque viſcerum culpâ tabeſcunt & vulgari iſta medendi methodo ſubjiciuntur, & ad iſta refectiva pharmacevtica pectoralia, electuaria, linctus & alia artificia ſeſamo, ſacharo, ſparſa, vel diætetica, ad gelatinas glutine ſuô viſcera magis conglutinantia, ad curationes lacteas, ASININAS, damnantur!

§. 27.

Expedit porro (§. 26.), & *doctrinæ*, & *praxeos*, causâ *phthiſin* à *febre phthiſica* & hanc à *febre lenta* probè diſcernere. Certiſſimè enim non omnis *phthiſis* conjuncta eſt cum *febre*, nec omnes, qui *febre lentâ* laborant, ideo ſtatim ſunt *phthiſici*. Quid verò ſibi velit illud *phthiſeos* ab *hectica* diſcrimen, quod nonnulli faciunt, equidem vix intelligo, ſaltim illud ſuperfluum eſſe videtur. Plerumque enim, vel certum *phthiſeos gradum*, vel *phthiſin* cum *febre phthiſica* conjunctam, vel *phthiſin*

tantum

tantùm *abdominalem*, vel aliud quid incongruè innuit. Vid. IVNCK *Therap. Spec. Tab. XXXIV. Phthisis* autem à macie, à marasmo, quomodo rectiùs distinguatur, ex ante dictis (§. 24.) patescit.

§. 28.

Distinctiones hujus mali (§. 27.) excipiant ejusdem *divisiones* præcipuæ. Dictô (§. 26.) nempe sensu accepta *phthisis*, si esset *solitaria*, dividi posset: in *solitariam* & *complicatam*, non vero in *simplicem* & *complicatam* s. *compositam*, ut promiscuè sub ejusmodi determinationibus loqui solent multi *Pathologi*, quos *Superficiarios* recte dixeris. *Simplici* enim non opponitur *complicatus* morbus, sed *compositus*. *Simplex* verò *morbus* est omnis *phthisis*, in se spectata. Ita vero non excluditur *complicata*.

§. 29.

Daturne autem *solitaria?* De hoc fortè posset dubitari. Datur omnino, si datur *idiopathica*. Hæc vero iterum est dubia. *Morbus idiopathicus* is est, qui non iterum ab alio *interno* dependet ejusdem subjecti morbo. Sed *phthisis* semper dependet ab alio statu morboso interno, quô fit, ut partes nutriendæ nullum accipiant rorem nutritium. Sed cibi defectus, objicis, non est morbus. Quapropter is saltim *phthisi idiopathicâ* laborabit, qui ceteroquin sanus, fame tabescit. Respondeo: cibi defectus extra corpus nutriendum non est morbus, concedo, in isto, nego. Rariores profecto sunt *morbi idiopathici*, ac vulgo statuitur, si quidem huic termino certum assignare volumus sensum. De reliquo *phthisis* plus minùs *complicata* est. Et ab hujus complicationis varietate dependent præcipue ejus *divisiones*.

§. 30.

Minus *complicatæ phthiseos species* itaque (§. 29.) sunt, quæ inducuntur a) à fame & jejuniis, b) à nimiis corporis exercitiis, c) à vigiliis & nimiis lucubrationibus, d) ab ærumnis, e) à diæta calida, exsiccante maximè, apud cholericos, f) à veneris effrenatis desideriis, g) ab exercitiis voluntariis, à manustuprationibus, h) aliis involuntariis, pollutiones nocturnas

indigito non tam à corporis, sed mentis potiùs lascivæ stimulis excitatas.

§. 31.

Phthiseos contra (§. 30.) *magis complicatæ* (§. 29.) *species* sunt, quæ ortum trahunt *v. gr.* à gonorrhœa, fluore albo, scorbuto, lienteria, febre, malo hysterico, hypochondriaco, hæmorrhagiis, vel excedentibus, vel deficientibus, tam artificialibus quàm naturalibus & præternaturalibus, speciatim hæmorrhoidibus &c.

§. 32.

Ita ex horum (§. 31.) censu *frequentiores* sunt *phthises viscerales* h. e. à viscerum labe oriundæ. Inde phthisis dispescitur in *phthisin pectoralem* s. *pulmonalem* & *abdominalem*. Illa iterum suas peculiares sub se comprehendit *species*: *nodosam* scil. seu *scirrhosam*, *ulcerosam* & *apostematodeam*. *Abdominalis* denuò subdividitur in *renalem*, *hepaticam*, *splenicam*, *gastricam*, *uterinam*, *intestinalem*, *mesentericam*, quæ binæ posteriores communi *atrophiæ* nomine vulgo veniunt. *Aliæ* ab aliis læsionibus oriundæ ab hisce denominandæ erunt.

§. 33.

Inter has (§. 30. 31. 32.) *phthiseos species* oblivioni non danda est illa Veteribus jam cognita & *tabes dorsalis* dicta, ut videre est apud FORESTUM in ejus *observat. medic. Lib. XVI. observ.* 53. ubi de ista breviter & pulcrè ita loquitur: *Tabes quædam fit à spinali, seu dorsali, medulla, quæ maximè corripit recentes sponsos & veneri deditos, quæ iis sane imprimis accidit, qui ante perfectam pubertatem & eo tempore hunc profundunt succum, quô isto natura opus haberet ad feliciùs corporis incrementum.* Wenn die junge Herren so weißnäsigt und wie eine Petersilien-Suppe aussehen, uti Cel. SCHAARSCHMIDIO id exprimere placuit in *Studio Medico Chirurgic. P. II. Cap. I. de Atrophia.*

§. 34.

Omnibus hisce (§. 29 -- 33.) multò plures addi possunt varietates, juxta quas *phthisis* dividi potest *v. gr.* in *determinatam* & nondum *determinatam*, in *recentem* & *inveteratam*, in *chronicam* & *acutam*, quæ forte ea ipsa est, quæ aliis *hectica* audit,

audit, in *univerſalem* & *particularem*, BONNET. *Lib. cit.* (§. 26.) *tit. eod. Obſ. C. III.* in *ſenilem* & *juvenilem*, in *retardatam* & *acceleratam*, in *hæreditariam* & *poſt nativitatem acquiſitam*, in *remittentem*, *intermittentem* & *continuam*, in *contagioſam* & *non contagioſam.* SCHARSCHMID. *Stud. medico-chirurg. P. II. Cap. de Phthiſi.* conf. 10. SCHMID. *in Ephimerid. German. Ann. IX. Obſ. XL. p.* 120. & FR. HOFFMANN. *Syſt. med. Tom. IV. Part. IV.* §. *XVIII. p. m.* 305. Commemoratas modo aliasque *phthiſeos* varietates in ſolidiori Pathologia & Praxi exquiſitiore annotandas & determinandas eſſe, inter rerum noſtrarum gnaros, nemo inficias ibit. In iſtas vero me diffundere, jam non vacat & à ſcopo præſenti alienum foret.

§. 35.

Satis erit hîc ea adduxiſſe, quæ præ aliis ad præſentem caſum adplicari poſſunt. Collatis verò hucusque dictis (§. 22 - 34.) cum iis, quæ habet morbi hiſtoria, in parte prima communicata, intellectu facilè erit, qualis is fuerit morbus, quo ſuccubuit *ÆGER*, de quo agitur. Fuit is nempe *tabes*, ſeu *phthiſis*, veri nominis talis (§. 25.) ideoque nec *maraſmus* (§. 24.), nec alius morbus. Contabeſcebat enim (§. 3, 4.) & more *phthiſicorum* tabe conſumtus obdormiebat placide (§. 12.). Fuit autem *phthiſis complicata* (§. 28. collat. § 5, 6.), fuit *abdominalis*, nominatim *hypochondriaca* (§. *cit. collat.* 5.), *hæmorrhoidalis* (§. *cit. collat.* §. 2.) *hepatica* quoque (§. 58. *collat.* §. 11.) & propterea *viſceralis* (§. 28.), porrò *determinata*, *univerſalis*, *accelerata*, *continua* &c. (§. 34.).

§. 36.

Quam, obſecro, facile fuiſſet omnia hæc (§. 35.) aſſerta eorumque demonſtrationes multò profluentiori dicendi genere exponere multasque iſtis complere paginas. Ita verò id omne ſolis expedire licuit §*orum citationibus.* Ecce! *methodi analytico-ſyſtematicæ*, quam *Excell. Dn. Præſes* ſummis cum rationibus adeo extollit, in Medicina quoque adplicabilis jucundam *brevitatem*, brevemque *ſufficientiam.* En! quàm proclive ſit, *ſyſtematicæ Medicinæ*, utut ampliſſimæ, principia, debitè præſtructa, brevi nihilo tamen ſecius manu & datâ

quavis

quavis occasione in *usus* nostros *theoreticos* & *practicos* trahere. ANALYTICOS ET SYSTEMATICOS NOS ESSE DECET NON IN LIBRIS ET DOCTRINIS NOSTRIS SOLVM, SED AD LECTOS ÆGROTORVM QVOQVE, ET IN CONSILIIS NOSTRIS EXARANDIS QVIBVSVE. *De morboso ægri statu obiter aliquid dicere, unam alteramque formulam scribere chaotico - pharmaceuticam, pauxillum de diæta evpepta annectere, parum aut nihil, & si quidem aliquid, sæpe potiùs damnosum atque sic pluribus nominibus culposum.* Consilia daturi medica, academicos tractatus scribere quidem non jubemur. Oportet tamen nec difficultatis multum habet apud artis peritos scapham scapham dicere morbumque oblatum germanô suo nomine indicare atque determinatiùs, succinctâ nihilominus brevitate, indolem ejus exprimere sicque ex genuinis principiis *medendi methodum* præscribere.

§. 37.

Quoniam verò morbos curare est causas tollere (§. 20. *p.* 22.), *nosologiæ* cujusvis morbi addenda est ejusdem *ætiologia. Phthisin hæmorrhoidalem* ob oculos hîc (§. 35.) habemus. Missis igitur reliquarum *phthisium ætiologiis*, hujus præcipuè indagandæ sunt *causæ.*

§. 38.

Multa dicunt scribuntque Pathologi de *causis morborum disponentibus*, *prædisponentibus*, προηγȣμένοις, προκαταρκτικοῖς, verùm haud raro, si non erroneè, incongruè tamen & confusè satis atque contra receptum Philosophorum loquendi usum, qui jam dudum satis exquisitè nobis proposuerunt doctrinam de *caussis*, in nostro quoque foro utiliter & aptè satis adplicandam. Cur tritam hanc & planam relinquamus viam, nulla suppetit ratio, ni quidem Medicum velis, non Philosophum.

§. 39.

Causas efficientes maximè respicere oportet *ætiologia* nostra. Hæ sunt vel *proximæ* vel *remotæ*. *Proximam causam* hujus, ut omnis *phthiseos*, esse nutritionis defectum, nemo non videt. Per nutritionem autem intelligimus eam naturæ functionem, quâ in succum & sanguinem versæ ingestorum particulæ motibus ipsis vitalibus detritis locis *adducuntur*, *apponuntur*, *assimilan-*

milanturque. Illuſtri noſtro ægroto nunquam ſanè defuerunt nutrimenta, & optimè aliâs nutrientia, ſed illum tamen haud nutriebant, utpote, vel non debitè in ſuccum & ſanguinem laudabilem verſa, vel ex hoc fonte hauſta ſaltem ritè adplicari neſcia.

§. 40.

Inenarrabiles ejusmodi eſſe poſſunt *cauſæ*, atque in aliis aliæ, vel *ſolitariæ*, vel *concurrentes*, vel *plures*, vel *pauciores*; *corporeæ* dein vel *incorporeæ.* Ex hiſce ſunt: *animi ſolicitudines*, *mærores*, *iracundæ excandeſcentiæ*, profundiores *ſpeculationes*, excedentes *lucubrationes.* Ab incola enim domicilii noſtri oeconomiam vitalem, concoctionem præſertim & proinde nutritionis negotium perturbari poſſe, ipsô factô loquitur quotidiana experientia. Ab eſſe ad poſſe autem firmiſſima procedit conſequentia. Nemini non perquam facilè erit conjicere, ab *animi pathematibus* neutiquam immunem fuiſſe, & multis protractisque lucubrationibus ſæpiſſime defatigatum, nec graviorum ſollicitudinum aculeos non ſenſiſſe multoties *Noſtrum*, qui vel ſolùm cogitaverit, eum æquè benè ac nos fuiſſe hominem ac virum tot laboribus occupatum & res alienas curantem maximô ſtudiô. En! primam malorum ejus portam ſat amplam.

§. 41.

Ab his (§. 39, 40.) ad alteram *cauſarum phthiſeos* claſſem venio. Ecquis verò iſtas enumerabit omnes? Præcipuas duntaxat tangam. Harum autem ſunt *aliæ* veri nominis tales, quæ *efficientes* receptô à Philoſophis terminô dicuntur, *aliæ* ſic dictæ, nec veri nominis tales. Poſterioris nominis cauſam alii proinde *cauſam ſine qua non* vocant, *alii* eandem vocitant *diſponentem*, *prædiſponentem*, *occaſionalem alii*, at ſat vagè ſæpe nec raro erroneè. Occaſio morbi eſſe poteſt, quæ non diſponit & vice verſâ. Deinde rectè etiam intellecta *diſponens* propriè & reapſe planè non eſt *cauſa.* Removenda igitur eſt hæc ambiguitas, aſſignatô huic *termino* ſignificatu fixô, nec unquam aliô, quàm hôc is in uſum erit vocandus. Impedit enim, immo confundit veritatis cognitionem lubrica

ca

ca ejusmodi loquacitas. Reclamitat ex hac ipſa ratione frivolæ huic licentiæ circa *loquendi uſum* ſtabilitum in orbe literario pactum. *Cauſa ſine qua non*, non eſt aliud, quàm conditio, ſub qua cauſatur *cauſa*. Ergo non *cauſa*. Tàm abſona eſt eorum doctrina, qui *cauſam* in noſtro vel alio foro dividunt in *cauſam efficientem* & *cauſam ſine qua non*. Ecquis non videt, hoc idem eſſe ac dividere *cauſam* in *cauſam* & *non cauſam*. Hocce ipſum verò exemplum unà in *genere* demonſtrat abſurditatem aliarum ſimilium ejusmodi diviſionum in altioribus ſubſelliis adeò frequentium, in quibus nempe planè *diſtincta* dividunt ſicque reipsâ *diſtincta* non diſtinguunt à *diverſis*, quæ plane *diſtincta* ſunt à *diſtinctis*.

§. 42.

Cauſa phthiſeos ſine qua non, h. e. (§. 41.) conditio ſub qua operatur *cauſa* qualiscunque *tabifica*, ſpeciatim corporea, de qua jam eſt ſermo (§. 40.), multiplex eſt. Ea ipſa quoque, quæ unâ vice *efficiens*, alterâ poteſt eſſe *occaſionalis*, in iisdem & diverſis inſuper *ſubjectis*. Ita *polyæmia* foret cauſa *phthiſeos ſine qua non* in eo, qui ſub orgaſmo ſanguinis, ira, potu ſpirituoſo, vel aliô modô, ad vaſorum usque rupturam concitato, tabificam pulmonum labem contraheret & ex alia factus fuiſſet pulmonarius. Ipſa vero *polyæmia* per ſe quoque eſſe poteſt *efficiens cauſa*, quatenus in diſpoſitis maximè circuitum ſanguinis & humorum ideoque ſe- & excretiones impedit, vaſa obſtruit, obſtructis labem infert, quæ *phthiſin* pediſſequam habent. Immo quæ in uno eodemque *ſubjecto* fuit *diſponens*, cum aliunde cooperante mox mutatâ ſcenâ ſæpe evadit pariter *efficiens*. Hæc eum in finem adduco, ut intelligatur, quàm incongruum ſit in *doctrinis pathologicis*, hanc illamve *cauſam* obiter dicere *diſponentem*, *occaſionalem*, quæ tamen unà poteſt eſſe *efficiens*. Exinde vero ſimul eluceſcit, hujus diſcriminis normam haud ſuppeditare nobis fundamentum, juxta quod commode pertractare poſſemus *ætiologias* noſtras, poſſentve forſan alii ſuas.

§. 43.

Aliud igitur (§. 42.) ſubſtituendum erit *ſchema ſyſtematicum*; Quodnam vero? an communius illud, quod ſcilicet petunt à *rebus* ſic dictis *naturalibus*, *non naturalibus* & *præternaturalibus?* Obſtant heîc pariter non paucæ graviores doctrinæ rationes, de quibus vero alibi. Id jam perſpexit & in ſuis inſtitutionibus medicis §. 745. immortalis BOERHAVE hiſce apertè profeſſus eſt: *quæ eadem* (ante modo à ſe producta intelligit) *in ſex claſſes alii dividunt titulô rerum non naturalium digeſtas ..... longe tamen commodius atque indagini aptius præcedenti diviſione utemur.* Uteremur eâdem nos quoque, ſi poterimus, poterimus autem, quinimo debebimus, ſi aſſerto VIRI ILLVSTRIS reſpondebunt ſufficientes rationes. Harum quum nullas addat, de iſtis nos ſollicitos eſſe, quis vituperabit? Suam vero communiori ſubſtituendam methodum l. c. §. 744. ita exprimit: *hæ poſteriores* (internas intelligit juxta §. 743.) *omnium commodiſſimè atque memoriæ juvandæ aptiſſimè reduci poſſunt ad quatuor, iis indagandis digerendisque apprime utiles*, quæ ſunt: 1. *Ingeſta* ..... 2. *geſta* ..... 3. *retenta excreta* ..... 4. *adplicata externa corpori* ..... Verùm enim verò, hac ratione indagandis digerendisque cauſis morborum utiliora & vulgò receptis aptiora ſubſtituta fuiſſe *fundamenta ætiologica*, quis ſuo conſenſu facile confirmaverit, ſi diſceſſerimus ab iis, qui proprias meditationes in rem conferre, vel nolunt, vel neſciunt & cæcô aſſenſu auctoritatisque præjudiciò ſeducti vix aliorum *relata referunt.* Præficine hæc dixerim. Veritati velificor, oſcitantiæ & auctoritatis ſyrtes præternavigaturus atque ad littora curſum directurus. Ea, quæ in præſentiarum me vovent, hæc ſunt. Ad ingeſta celebris AVCTOR refert: cibum & potum, medicamen, venenum; ad geſta: ſomnum & vigiliam; hæc autem & reliqua omnia, ſub hiſce articulis comprehenſa, ad *externa.* Num vero, quæſumus, hæc talia, num alimentaria per os ingeſta, num medicamina omnia, num venena quocunque modò ingeſta, poſſunt ſolentve ab aliis quoque referri ad *externa.* Ita nullum ampliùs reſtitaret diſcrimen medicamina inter *externa* atque *interna.* Ita

diæta

diæta non ad Medicum, omnis contra ad chirurgicum pertineret forum. Possuntne retenta, sive salubria fuerint, sive morbosa, externa dici? quies ad gesta referri? Otiosum se gerere latinior est locutio quàm philosophica. Nonne somno & vigiliis addendum tertium illud: insomnium? An hôc sensu causæ sunt excreta? An retenta omnia causæ sunt non morbosæ, de quibus hic loquimur? conf. *l. c.* §. 780. Nonne ergo distinguenda? quæ numero I. ad ingesta referuntur, eadem ad adplicata postea denuò referuntur. Nonne manifesta hæc est *divisionis fallacia?* Unicum addo. An somnus & vigiliæ sunt status externi? An ex ipsa AVTORIS mente? Nonne is vigilias ponit in certo statu organorum sensuum & motuum voluntariorum? vid. *l. c.* §. 587. Nonne illam totam pendere docet à spirituum præsentia in cerebro, ejus medulla, nervis, musculis, tum ab ipsa bona dictarum partium conditione? An, obsecro! hæc conditio *externa* est? An extra corpus igitur quærendæ hæ morborum *causæ*? Hocce adeo absonum foret, ac si quis extra se suum quæsiverit cerebrum? Sin itaque aliâ facie non comparere posset *ætiologia* nostra, equidem quàm huic recentiori, antiquiori potiùs & à superiorum seculorum Medicinæ Patribus jam pictæ assignare maluerim prærogativam, nil ita sanè reliqua extenuaturus immortalis BOERHAVII merita, quibus sat multos ex suis præit Posteris. Inferioris enim notæ & qui eum non assequuntur digitô monstro, *Sectarios*, non asseclas, qui in magistri non jurarunt verba, nec turpe habent ipsius præceptoris emendare cogitata, ubicunque id luminosius hoc fert seculum.

§. 44.

Hôc jure, hac æquitate nos derelictis viis istis intricatioribus (§. 42, 43.) eam, quam Excell. DN. PRAESES in prælectionibus suis planiorem non solum esse sat superque evictum dedit, sed & exemplô suô præmonstravit, in re quoque præsenti nunc calcare, consultum esse duxi. Oportuniorem hucusque deprehendere non licuit optimo Præceptori, quam verò si quis præiverit, perlubenter calcabimus unà. *Quô enim breviori, quô planiori, quô rectiori in cognitionis nostræ tra-*

mite progredi licet, eò feliciores erimus omnino, in addiſcendis docendisque æque ac ritè in uſus publicos vertendis penſis noſtris academicis aliisque.

§. 45.

Noſtrum igitur *ſchema ætiologicum* hocce comprehenditur compendiö. CAVSAE MORBORVVM, ut *in genere*, ita CORPORIS *in ſpecie*, ſunt: vel *corporeæ*, vel *incorporeæ*. Ergo etiam *phthiſeos* (§ 39,40.). VTRAEQVE, maximè CORPOREAE, ſunt: vel *naturales*, vel *præternaturales*; NATVRALES v. gr. *ætas*, *ſexus*, *temperamentum*, eædemque modò *conditionatæ*, modò *effectrices*, ſcil. quâ *concurrentes*, ubi nempe aliis præſentibus cooperandi occaſionem nactæ ſunt. PRAETERNATVRALES morborum corporis *cauſæ* ſunt: vel iterum *morboſæ*, vel *non iterum morboſæ*, ſeu: *in ſe non morboſæ*, ſeu: *ſimpliciter præternaturales*, ſeu: *præternaturales*, *ſtrictiùs dictæ*. Haud enim omne *præternaturale* eſt *morboſum*, licet omne *morboſum* ſit *præternaturale*. Vid. *Diſſ.* Excell. DN. PRAESIDIS, quâ *ſpecimen ophthalmiologiæ* exhibuit, §. 84. Quæ ibidem §. 90. leguntur & his obſtare poſſent, dudum ab ipſo Exc. AVTORE emendata ſunt. Ratio aliqua ſupra (§. 42) allegata fuit. *Cauſæ* morborum corporis corporeæ NON iterum MORBOSAE, denuo ſunt: vel *externæ*, vel *internæ*. Hujus claſſis EXTERNAE v. gr. *aëris variæ injuriæ*, *vapores nocivi*, *media medica externa*, verbo: *chirurgica*, tam *pharmaceutica*, quàm *mechanica*, vel *malè adplicata*, vel *neglecta* planè, balnea, unguenta, emplaſtra, fonticuli, venæſectiones, ſcarificationes, coſmetica, abuſus tabaci per nares, pulveris, per os, fumi forma, attracti, *violentiæ*, contuſiones, aduſtiones, lapſus &c. *veſtimenta* moribus conſentanea, ſanitati contraria, thoraces arctiores, calcei ſtrictiores, infantum recens natorum vincturæ, alia veſtitus ſolita vitia; INTERNAE v. gr. *ingeſta* qualiacunque ſpecie viſibili, inviſibili, fumô, hauſtu, deglutitu; *edulia*, *potulenta*, *media medica interna* pharmaceutica, diætetica, *venena interna*, aliæ *res peregrinæ* corpori inhærentes, globuli, oſſa, nuclei, vermes &c. Cauſæ morborum corporis MORBOSAE commodè denuo ſubdividuntur in *externas* & *internas*.

nas. EXTERNAE hujusce classis sunt *morbi hæreditarii contagiosi*, quorum *causatio* dicitur *contagium*, à quo differt *infectio*. INTERNAE sunt ipsi morbi inquilini, tam materiæ, quàm motuum, & quoad utrosque, tam qualitatis, quàm quantitatis morbi, in eorum catalogô systematicô evolvendi.

§. 46.

Ex hisce (§. 45.) causarum classibus facili negotiô petuntur *pthiseos causæ corporeæ*. Quum verò in plenam hujus morbi tractationem *pathologicam* hîc excurrere non jubemur, utpote qui illius tantum *illustrationem* per oblatum *exemplum* illustre nobis sumsimus (§. 1.), ea tantùm hic delibabimus, quæ ad huncce spectant scopum. *Ætates h. e.* status corporis internos pro variis ætatis stadiis varios esse, sicque variô modô ad *phthisin* ingenerandam concurrere posse, admodum proclive est judicare. Quod in præsente sanè contulerit aliquid, nullus dubito, præcipuam verò diri hujus mali causam fuisse, neutiquam asseruerim. Observatum ceteroquin est & jam ab HIPPOCRATE annotatum, juvenes præ adultioribus faciliùs hóc corripi malô. Hinc Venerandus hic scholæ nostræ princeps *Aphorism.* 29. *Sect.* 3. & *Aphorism.* 9. *Sect.* 5. *Aphorism.* 7. *Sect.* 8. nec non *Prænot. coac. t.* 439. expressis asserit, subjecta juvenilis ætatis intra annos 18 - 35. constituta huic morbo præcipuè exposita esse. Id quod pariter ab Illustr. BOERHAAVE in Tr. de *cognoscendis & curandis morbis* §. 1198. confirmat, denominans ibi subjecta annorum 16 - 36. Ratio in adfluxu sanguinis ad viscera principalia tum uberiùs determinato maximè quærenda est.

§. 47.

De *sexu* nil habeo, quod hîc addam. Femineum de reliquo ad *phthisin* suscipiendam fovendamque virili proclivio-rem esse, multi statuunt, alii tamen contrarium. De hac lite conferri meretur Illustr. IVNCKERI *Therap. special Tab. LXXIV. n. IV.* 4. Quadrat heic quodammodo HIPPOCRATIS effatum, quod *Epist.* 2. *ad* ita habet: *Mulier bis patitur morbum.* Ad corporis verò *temperamentum* quod attinet, in præsenti *phthisico sanguineo - cholericum* (§. 2.), illud sanè in

 enu-

enutriendo ſaltem hocce malo, utpote aliâs activum, otioſum haud fuiſſe, præſertim intercurrentibus criticis occupationibus, credere par eſt. De *corporis* enim, quod notari velim, *temperamento* in præſenti *cauſarum* claſſe loquor, non animi, de quo ſupra (§. 40.). Utut enim conſpiret tantùm non ſemper *animi* cum *corporis temperamento*, & ambo confluentia *hominis* conſtituant *temperamentum*, in *doctrina* tamen *analytica* hæc talia ab invicem ubique ſolicitè diſtinguenda ſunt. Rorem nutritium autem calidiora hujuscemodi *temperamenta* ſub hocce ſtatu celeriùs perturbant, diſſolvunt, fundunt, diſſipant atque ita depaſcunt nutriendas partes potiùs, quàm nutriunt.

§. 48.

Inde (§. 46, 47.) ad *cauſas præternaturales* progredior, quæ, vel iterum *morboſæ*, vel *non morboſæ*, ſunt & utræque, vel in- vel externæ (§. 45.). Ex poſteribus, *externis* nempe, *non morboſis*, præcipuè hîc annotanda occurrit *aëris* inclementior *temperies*, quàm expertus eſt NOSTER, veſtibus inſuper æſtivis non mutatis (§. 5.). Quantas noxas inferre poſſint, præſertim in ſenſibilioribus & ante jam morboſis, tempeſtatis injuriæ, loca imbribus & fluminibus nimis rigata, halitus inde exſurgentes inſalubres, ventorum afflatus inclementiores, tempeſtatum alterationes ſubitaneæ, à triſti experientia ſcitur abundè. Calidioris auræ frigidiorem in temperiem celerior mutatio efficaciùs ſupprimit primariam illam per cutis ſpiracula ſecretionem, ſpiritus dejiciuntur, ſerum excrementitium retroagitur, repulſum inquinat, accredinê humores inficit, ut facilè vis tabifica altiùs ita imprimi poſſit, ut verum ſit:

Unda lacusque nocent & cauſa valentior illis
anxietas animi - - - -

Notabile exemplum recenſet BENEDICTI in ſuo *tabidorum theatro* de equitis aurati nobilis filio, qui à fridiuſculæ auræ impreſſione phthiſicus factus eſt. v. p. m. 22. 23.

§. 49.

Motus vel *quetis exceſſus* æquè ac *defectus* inter *externas cauſas* morbificas, utut in ſe *non* iterum *morboſas*, *præternaturales*

turales tamen, præcipuum ſibi vindicant locum. Ad *res*, ut incongruè loquuntur, *non - naturales*, vulgò referunt *motum* & *quietem* ideoque à rebus *præternaturalibus* diſtinguunt. Quis verò, accuratiùs diſtinctiùsve cogitare ſolitus, non videt, hâc cogitandi ratione erronei quid implicari. Qualescunque res certum aliquod *ſubjectum* adficientes aut naturæ illius conveniunt, aut non conveniunt. Poſteriores aptè rectèque dicuntur *præternaturales*, ſive *internæ* fuerint, ſive *externæ*, utpote quæ præter naturæ illius, quod adficiunt, regulas, eveniunt. De proportionato & conveniente motu, voluntario nimirum, heîc non eſt ſermo. Qui verò minùs convenit, vel exceſſu, vel defectu, vel directione, peccans, non poteſt non eſſe *præternaturalis*. Ecquis quæſo ejusmodi exceſſus defectusque dixerit res naturales? Quis contrà quantitate & qualitate convenientes motus vocaverit *præternaturales*. Tertium non datur, quod tamen in condendo & retinendo incongruo illo *ſchemate* (*ſyſtema* enim haud eſt) hucusque per fictionem, eamque quidem illegitimam (dantur enim etiam legitimæ & Mathtmaticorum exemplô adplicabiles) fovere maluerunt, quàm ad hujus *diviſionis* fundamentum attendere.

§. 59.

Vehementiora corporis exercitia, & ſolidis, & fluidis, variô modô labes qualescunque & propterea quoque tabificas inferre poſſe, ſpontè patet. Vid. BENEDICTI *theatrum tabidorum pag. m.* 29. Longè verò ampliorem viam quibusvis morbis & ſpeciatim *phthiſicis* pandit *vita otioſa*. Hinc ægrotorum qualiumcunque, & præſertim *phthiſicorum* honoratiorum ac ſedentariorum, quàm plebejorum & laborioſorum, inſigniter major ubique occurrit frequentia. Ratio eſt in promtu. Vix ullum eſt corpus, quod in hocce univerſo celeriori putredini, quàm animale, obſervamus obnoxium. Ad hanc avertendam vivis ipſa data eſt vita. Vitales verò motus motibus voluntariis in ſuo conſervari vigore, ratio & experientia edocent luculenter. Pigritia & vita deſidioſa ipſa, ſi nondum planè morbus, præternatarale quid tamen eſt.

Languent tum vitales motus, lentior fit humorum circuitus. Indè eorum accumulatio. Adcumulata spissescunt, stagnant, distendunt, infarciunt, nobiliora quoque viscera. Contractis infarctibus læduntur itaque solida multiplicibus modis. Inde malorum agmina, *phthisis* quoque, quod ex sequentibus luculentiùs elucescet. Hinc divina lex: *In sudore faciei commedas panem tuum*, aut ægrotes & emoriaris, *phthisicâ* labe, vel aliâ. Consentiunt melioris notæ sanitatis custodes. Hùc redit PAVLI illud de cibo sine labore non capiendo, & HIPPOCRATICVM: *non potest homo, qui comedit, sanus esse, nisi etiam laboret. L. I. de victus ratione, f. m.* 7. GALENVS *L. II. de sanitate tuenda, C. II.* pronunciat, *sanitatis tutelam à labore esse auspicandam*, addens, id naturam ipsam hôc testificari, quod puelli suopte ingeniô ad exercitia sint propensi. *l. c. L. I. C. VII.* Et *Lib. de cibis bonis & mali succi nulla*, inquit, *major pestis bonæ valetudinis est, quàm si corpus è toto in quiete habetur, ita in moderato motu summa salus consistit.* Idem agnoscens CELSVS *Libr. III. C. XXII.* in rem præsentem apposite dicit: *Si verò phthisis est, opus est longa navigatione, ideoque aptissimè Alexandriam itur ex Italia.* Ita quoque Veteres magni faciebant *navigationem in Ægyptum*, id quod videre est ex modo cit. Auctore *Lib. IV. Cap.* 4. Et PLINIVS *L. XXXI. C. VI.* ANNEVM GALLIONEM navigationis beneficiô restitutum esse, adfirmat. Expressiùs CELSIVS *L. I. C. I.* de hac re ita differit: *ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hæc longam adolescentiam reddit.* Si testimonia recentiora desideras, consule utriusque sectæ Medicorum inter nos principes, HOFFMANNVM, STAHLIVM. Priorem in *diss. de motu optimâ corporis medicinâ*; posteriorem in *diss. de motus voluntarii usu medico. §. XXIX.* Adde huc maximè spectans ejusdem *propemticum inaugurale de novo specifico antiphthisico, equitatione Halæ*, 1699. Conferri quoque meretur Experientiss. SYDENHAMIVS in *Opusc. univers. pag.* 522. & 788. *edit. Lips.* nec non ADOLPHI *diss. de Equitationis usu medico.* Sedentariæ vitæ NOSTRVM *phthisicum* addictum fuisse ex historia allata (§. 2.) patet. Hancce in educenda & enutrienda

illius

illius contabescentia non infœcundam fuisse, modo allata credere suadent, adfirmant insuper reliqui, quibus laboravit, morbi. De quibus infra plura.

§. 51.

Succedunt *causæ non morbosæ internæ* (§. 45.). *Diætam* in præsenti casu adcusare, non vereor. Notitia, quam habemus, de arte coquinaria, quæ Ratisbonæ pariter ut alibi invaluit, id suggerit. Soliciti nempe ibi sunt de isto linguæ pabulo, quod se commendat acutiore & in gustationis organon altiùs impressô saporis stimulô, Gallis *haut gout* dictô. Sub quavis miscela chaotica illum ad palatum voluptuosorum directuri, quid non immiscent? Acuunt fercula sua cepis, alliis aromatibusque exoticis calidioribus & quibusvis aliis. Ita verò edunt, non ut vivant, sed ut non vivant, quousque nimirum vivere ipsis datum fuisset, ut insuper miserè vivant. Non inferiores in potu observantur errores. Ingurgitantur vina generosiora, alia potulenta calidiora, spirituosa, *v. gr.* ex fabis coffeæ, herbâ theæ &c. confecta. *Liqueurs* vulgò inter GERMANOS quoque vocantur, procul dubio, quia hunc morem à GALLIS habent. Nec excludendus erit abundantior fortiorque hodie potus Coffeæ, aquosus licet. Notabilis solertissimorum Ratisbonensium Medicorum observatio modò dicta corroborat. Solicitâ attentione calculum subducturi, quàm octodecim antea, quinque tantùm annorum, intervallô, multo plures numerarunt sui loci *phthisicos.* Hem! tristes observationes. Quanta calculi fuisset differentia, si majorem aliorum quoque ægrotorum frequentiam ad illum revocassent, aut revocarent alii, quibus hæc observandi data est occasio. Desidiâ & luxuriâ HIPPOCRATIS tempore & vigente medicinâ gymnasticâ corpora sua non usque vitiasse veteres, ac postea id observatum est, testatus jamjam est CELSUS in *præf. p. m.* 2. atque SENECA *Epist. XCV.* Et GALENUS in *Comment.* ad HIPPOCRATEM *Sect. VI. aph.* 28. *nostris*, inquit, *temporibus*, *usque adeo auctis eduliis, ut nil iis addi posse videatur, infinita est podagrarum multitudo, cum nonnulli sint, qui ne exerceantur quidem, sed cruditatibus incumbunt*

 cumbunt

cumbunt & ebrietatibus ac venereis utuntur immoderatè. Nonnulli verò, & si non hisce omnibus, uno saltim, aut duobus, delinquunt. Acuant has querelas PLEMPIANA hodienum repetenda: *Securitatem sopori simillimam adpetunt, ac sub densa umbra latitantes, tenerrimis cogitationibus, quas tranquillitatem vocant, marcentis animi torporem oblectant, & cibis potionibusque intra ædium latebras corpora ignavia pallentia saginant.*

§. 52.

Fortè adfuerunt aliæ hujus commatis *causæ* morbificæ, in se non *morbosæ*, tam *ex-* quàm *internæ* præter hucusque (§. 46 - 51.) commemoratas; sed de aliis nil habet præsentis morbi historia. In transcursu de istis hoc tantùm addere liceat, *tabem* inducunt inductamque fovent accelerantque ex nominatæ prosapiæ causis sequentes quoque. Quoad *externas* quidem dictæ (§. 45.). Quoad *internas* paritər allegatæ (*l. c.*). Illis adde *thermas* improvidè adhibitas, *fumum carbonum*, *vapores* sulphureo-*pulverulentos*, samiatoribus, lapicidis, adeò funestos, *situs corporis* præternaturales horum aliorumque opificum non solum, sed & aliorum *sedentario vitæ generi* addictorum. vid. *Diss. de Phthisi Samiatorum*, vulgò: die Schleiffer-Kranckheit, quam Præside D. IO. FRID. DE PRE, defendebat IAC. STORCK. *Erf.* 1719. Cel. RIVIN. *Diss. p. m.* 346. ubi præcipuè *aërem* exhalationibus metallicis refertum adcusat §. 18. addens: *idem præstat aër pulverulentus, adeoque ideò statarii, qui saxa vel alabastrum tractant, item calcarii & muratores* ..... phthisici evadunt. De *aurifabris*, *chemicis* &c. idem annotavit GEORG. HORSTIVS *Observ. medic. Lib. II. Part.* 2. *Observ.* 25. *p. m.* 186. Conferantur M. N. C. *Dec. I. ann.* 3. *obs.* 131. *Dec. III. ann.* 2. *observ.* 145 & 148. *ann.* 5. & 6. *observ.* 261. DIOSCORIDES *de re medica L. V. C.* 96. MARCELLVS DONATVS *Histor. mirab. L.* 2. *C.* 6. HOCHSTETTERVS *Decade* 3. *Cas* 8. TVLPIVS *L.* 3. *C.* 41. FORESTVS *Lib.* 15. *Obs.* 26. *in Scholio.* Nominatim addo *exhalationes arsenicales*, *vitriolicas*, *aquæ fortis*, *calcis vivæ* sub illius exstinctione, *fodinarum metallicarum*, *fossilium carbonum*, (unde in Anglia frequentiores esse *phthisicos* perhibent), *lac*

virginale

virginale diu multumque ad cutis nitorem adhibitum, quod *Illuſtr.* BOERHAAVE in Chemia ſua notabili comprobat exemplô virginum quarundam ex nobiliſſima familia ortarum, quæ ejus continuô uſu *phthiſicæ* evaſerunt. *Phthiſicam* hancce pulcritudinem igitur eo magis conciliabunt alia *coſmetica*. *Phthiſin* ex *intermiſſa venæſectione* proponit IO. LEONH. MARTINI *in Diſſ. ſua de phthiſi, Giſſæ-Haſſorum* 1696. ventilata; ex deglutiti *pomi nucleo*, qui pulmonibus illapſus eſt. M. C. A. N. C. D. I. IV. V. à recentis *corii bovis*, paulo ante carbunculô mortui, præparatione. vid. *Obſervations de medecine ou l'on trouve, des remarques qui tendent à detruire le préjuge, ou l'on eſt ſur l'uſage du lait dans la pulmonie, par Mr.* RAVLIN *à Paris* 1754. Præterea *cauſis internis* in ſe non morboſis quidem, ad adfricandam tamen labem tabificam aptis, præcipuè accenſentur: *diæta* incongrua, *lauta*, *calida*, (§. 49.), *ſicca*, *cruda*, *vinoſa*, *acidulæ*, *vermes* &c. E culina tamen *pharmacevtica* plures emanare *phthiſeos cauſas*, impunè aſſerere licet, quicquid oggranniant celebres ſæpe *phthiſeos artifices pharmacevtici*. Spectant huc præ aliis *becchica* & ſic dicta *expectorantia*, mirè confuſa, rancida, & ſi quidem fuerint bona, præpoſterè adplicata, de quibus *Illuſtr.* STAHLIVS, acutiſſimus & in praxi ſua Mechanicis longè felicior ſui temporis Practicus, rectè dixit, ea non *ex pectore*, ſed *per pectus* potiùs laxare. Nihilominus videas, dulces iſtos amaræ phthiſeos artifices miſeros ſuos ſaccharo incruſtare & linctibus ſuis atque Sirupis toties quoties velut ſepelire. Eheu! triſtia lethes dulcamaræ artificia! vid. BENEDICTI *theatr. tabid. p.* 91. ETTMVLLERI *Oper. Omn. P. II. C.* 1. *p. m.* 10. Addantur his: *Opiata*, *adſtringentia*, *martialia*, *terrea*, *rubinus ſulphuris*, pulveres *antiphthiſici* v. gr. famoſum illud *antihecticum* POTERII, *pulvis anonymus*, quem cum ſociis ſuis anonymis ne nomine quidem cognitum ampliùs habere volumus. His adde alia plura officinalia & inter iſta præcipuè tincturas iſtas antiphthiſicas, phthiſicas rectiùs dicendas, v. gr. GRAMANNI quam lentum illud & ſuſpectiſſimum ingreditur venenum. Quis non doleat, talia in *publica* adeo hodienum retineri *damna*, & ab uno in alium, re quaſi bene geſta, transferri formularum



medicarum codicillum. Væ! ægris, qui ad hæc damnantur præscripta proscribenda potiùs. Nec heîc excludendæ sunt *curationes lacteæ*, ASININAE, *aliæ*, a quibus alii audiunt: jusculorum lacteorum coctores, Milch-Suppen-Doktors, alii asino-Doctores, Esels-Doktor. vid. G. HARVAEVS *in tractatu*, qui inscriptus est: *ars curandi morbos expectatione*, item *de vanitatibus*, *dolis & mendaciis Medicorum*, ubi integrum *caput VI.* asino-vel asina-Doctoribus dicavit. Qua in satyra, ne quidem ipse experientissimus STAHLIVS in suis ad illam notis *p. m.* 60. *seqq.* dissentire potuit, utut aliâs hunc Medicorum castigatorem pariter castigaverit alibi. Si quid etiam est curatio lactea, non erit illa aliud, quam modice cibare & negotium naturæ commendare. Conf. jam citata Diss. CHR. FEDERI *pag.* 38. BENEDICTI *theatrum tabidorum*, *p.* 89. 90. & ex recentioribus Mr. RAVLIN *dans les observations de Medecine*, *ou l'on trouve*, *des remarques qui tendent à detruire le prejuge*, *ou l'on est sur l'usage du lait dans la pulmonie*, *p.* 71. & *p.* 165. *seqq.* ubi *phthisicos* LACTIS potissimum potus VICTIMAS esse exquisitè ostenditur & exemplis comprobatur.

§. 53.

Sed manum de tabula! Accelerandus est transitus ab his (§. 39-52.) *non morbosis*, *morbificis* tamen, *causis* ad ipsas *morbosas*, quæ iterum in *ex*- & *internas* abeunt (§. 45.). Ad illas spectant *hæreditariæ* & *contagiosæ*. Neque ab hæreditate, neque à contagio Nostrum suum accepisse malum, constat. Num verò hôc, vel illo, modô ab uno in alterum traduci possit *phthisis*, de eo dubitant disceptantque adhuc Auctores. Negant id quidam, plures tamen idem adfirmant. vid. FRACASTORIVS *L. II. de morbis contagiosis. C.* 9. A COLLEGIO ACADEM. LEOPOLD. N. C. *Uratislaviensium in historia morborum* 1701. *grassatorum* p. 244. hæc proferuntur: *de contagio phthiseos illam & eruditi & vulgus fovent opinionem*, *quod illud & ad vestes*, *cameras*, *lectulos & tabulata universumque cubile transeat.* - - *Nam sive graveolens sputum*, *sive sudores copiosi*, *sive tandem halitus*, *hujus infectionis statuatur medium*, *illi*, *qui cohabitant*, *tanto*

illud

illud promptiùs excipere possunt. Autor citatæ *dissert. de phthisi Samiatorum p.* 8. *notæ*, inquit, *mihi sunt duo familiæ, phthisi contagiosâ infectæ, quarum una in totam, altera verò in maximam partem extincta, & quidem annuô tantum spatiô, in his contagium transplantatum est.* Unde & sæpius conjuges se mutuò inficiunt. vid. RIVERIVS *in observ.* 35. & 99. *Centur. I.* & *obs.* 92. *Cent. IV.* Cel. IOH. HENR. SCHVLZE teste IAC. HEVELIO in *Diss. de phthisi*, quam sub illius præsidio tuebatur, sæpius in collegiis suis fecit mentionem studiosi cujusdam *phthisi* laborantis, qui ex academia in patriam reversus familiæ suæ idem malum intulit, ut intra unum annum tres fratres antea sanissimi, cum matre, sorore & quibusdam propinquis, eodem morbo adficerentur. Et SCHENCKIVS in *Observ. L.* 2. *observ.* 133. annotavit Medicum, sputa *phthisicorum* olfacientem, *phthiseos* labem inde contraxisse. Notatu quoque digna legitur observatio SALMVTHI in *ejus observ.* 64. *Cent. III.* Nec desunt, qui hujus cladis primordia à nativitate important, suntque, quorum parentes valetudinarii, aut tabidi, periêre, quibus genitura frigidior minusque matura, vel acrimonia calentiore profusa. v. CHRIST. BENEDICTI *tabidorum theatrum p. m.* 118.

§. 54.

Morbosarum contra (§. 53.) tabis causarum domesticarum longè plures esse, rerum nostrarum oculatiores *observatores* norunt & testantur ad unum omnes & ubique. Hujus census sunt quam plurimi *materiei motusque* & utriusque, tam *excessus defectusve*, quàm *qualitatis* morbi, in *structura* & *mixtione*. Præcipui harum classium morbi sunt: *Fluidorum* qualiscunque morbosa *copia* æque ac *inopia*; sanguinis aliorumque humorum *plethoræ*, præsertim *seri*, *bilis* &c. ut ne quidem ipsius *succi nutritii abundantiam* excipere possis; *pinguedines*, *flatulentiæ*, *stabiles* maxime, seu *tympaniticæ*; *anæmiæ* varii pariter generis, *chyli*, *sanguinis*, *bilis*, *succi pancreatici* &c. fluidorum *inspissationes*, *visciditates*, *concrescentiæ tophaceæ*, *polyposæ*, *scirrhosæ*, *sabulosæ*, *calculosæ*, eorumque *fusiones*, *turgescentiæ*; *dyscrasiæ salinæ*, *sulphureæ*, *terrestres*, *serosæ* maximè *scabiosæ*,

ictericæ, *scorbuticæ*, *cancrosæ*, *venereæ* &c. *morbi materiæ* in *solidis*, *mole*, *situ*, *figurâ* peccantibus, *toni* eorum vitia, *spasmi*, *atoniæ* universales, particulares, *morbi continuitatis* in iisdem, vel deficientis, vel excedentis, quo referuntur *vulnera*, *ulcera*, *concretiones* vasorum, viscerum; *infarctus* lienis, hepatis; *distorsiones*, *contusiones*. *Ex morbis motuum fluidorum* addendi sunt: *excessus defectusque caloris vitalis*; *febres* continuæ, intermittentes, *inflammationes* aliæ; *hæmorrhagiæ* naturales & præternaturales, tam excedentes, quâm deficientes, *fluxus muliebres*, *hæmorrhagiæ narium*, *hæmoptoes*, *hæmorrhoides*, *transpiratio* imminuta, suppressa, aucta nimis. *Fluxiones catarrhales*, *asthmata*, *morbi chymificationis*, *dysenteria*, *lienteria*, *diabetes*, *pollutiones nocturnæ*, *gonorrhææ*, *fluor albus*. Ex *morbis motuum* in *solidis* hic eminent, *malum hystericum*, *hypochondriacum*, *convulsiones*, *motus* intestinorum *peristalticus* perversus, *paralyses* &c.

§. 55.

Ætiologiam hancce (§. 54.) solertiores Pathologi in doctrinis dudum corroborârunt, observationibus illustrârunt luculentis. Videsis aliqua exempla à dictis causis morbosis enatæ *phthiseos:* à mesenterio lapidoso, PANAROL. *Pentecost.* 5. *Obs.* 19. à sabulosis concretionibus sine ulcere, WILLISIVS. *Pharm. rat. part.* 2. *S. I. C.* 6. ab hepate scirrhoso, omento & rene dextro corrupto, TIMAEVS *l.* 6. *ep.* 8. à tartaro gypseo in pulmonibus, LOSSIVS *L.I. obs.* 3. à scirrhoso hepate iterum & calculo renali, BARTHOLINVS *C.II. hist.* 32. à solo flaccidiore & sicciore viscerum statu sine alia structuræ eorum mutatione, *l. c. C.II. Hist.* 76. & HEVRN. *obs.* 13. à durioribus diaphragmatis tumoribus, FERNELIVS *pathol. L.* 5. *C. II.* à consumto & colliquato hepate, pulmonibus illæsis, FOREST, *C.* 16. *obs.* 51. *seqq.* Ab ulcere pleuræ, DOLAEVS in *Encycloped. pract.* ab eodem cum vertebrarum lumbarium erosione, AVBERTVS *Exerc.* 44. ad Lib. FERNEL. *de abditis.* A ventriculi & diaphragmatis ulcere, PLATERVS I. 2. *obs.* A mensium emansione, HIPPOCR. I. 2. *prædict.* IOH. LEONH. MARTINI *Diss. de phthisi*, ab earum suppressione, MORTONVS

in

in Phthisiolog. L. 3. C. 9. ab hypochondrii sinistri graviter contusi labe, TVLPIVS *C. II.* ab hepate exulcerato, integris plane pulmonibus, SCHNEIDERVS *L. IV. de Catarrh.* a suppressa hæmorrhagia, BENEDICTI *Theatrum tabidor. p. m.* 18. ab impetigine topicis toties quoties repressa in juvene alias ensarco & robusto, *l. c. p.* 53. a mordaciori & viscosiori cacochymia *opitulante curatione lactea, l. c. p.* 89. à tussi inveterata & fluxione salina, *l. c. p.* 95. ab hæmoptysi, FRID. HERM. LVDW. MVZELL medicinische und chyrurgische Wahrnehmungen, Sammlung *I. p.* 1. a prægressa pulmonum inflammatione, *l. c. p.* 7. ab ictu thoraci inflicto, *l. c. p.* 13. a malo hysterico, *Observations de Medecine* par Mr. IOH. RAVLIN, *p.* 8. à male tractatis tumoribus parvis tarsi scrophulosis, *l. c. p.* 15. à lue venerea, *l. c. p.* 21. à tumoribus scirrhosis, *l. c. p.* 27. à lepra hæreditaria, *l. c. p.* 30. à doloribus in regione epigastrica & obstructione hepatis, *l. c. p.* 42. Plura exempla collegerunt SENNERTVS, HILDANVS, BLASIVS, PANAROLVS, WARTHONIVS, HORST. *T. 2. obs.* THIERMAYERVS, *Cons. I. 2.* BONNET. *in sepulchreto anatomico.*

§. 56.

Notatu omninò dignum est, tam multas esse *phthiseos causas* & nihilo tamen secius tam raros esse *phthisicos.* Masculè & animosè hancce olim movebat quæstionem CHRIST. FEDER. in *Diss. de Phthisi* sub STAHLII præsidio defensa, qui *p.* 28. *aveo*, exclamat, *certè doceri, quis unquam quæstionem moverit, nedum evolverit, cur phthisis tam paucis hominibus eveniat? At paucissimis (si ad reliquos comparentur ab hocce malo liberos)* & vix millesimo cuique; *immo nemini absolutè* tam citò, *aut* tam facile, *quam utique posset*, evenire, *manifestum est. Immo vero miraculo simile videtur, eminenti loco, inter omnes alias corporis partes, præcipuè* trium *illarum, tam facilis ad corruptionem aptitudo, & tamen tam rara (& inprimis vera & simplex, quali absolutè exposita essent de sua materiali crasi) actualis corruptio, sanguinis puto, cerebri & pulmonum. Certè verò tanti est hæc,* à Mechanismo *præsertim, nempe justo* motu, *harum partium*

tium & per has partes, unicè dependens conſervatio, *ut ſummè neceſſarium arbitremur, in reddendis cauſis illarum læſionum, quæ ipſis tandem aliquando contingunt, omni animi intentione quàm maximè diſpicere de ejusmodi cauſis tandem deprehendendis, quæ hoc ſpecialiſſimè exhauriant.* Urget pluribus hujus rei momentum & reſpondet in ſequentibus. Pagina quoque 29. & 30. lectu digniores addit obſervationes. Sed, quod caput rei attingit, tota ejus reſponſio nimis STAHLIANAM ſapit *hypotheſin.* Reddi poſſunt omninò rationes ex ipſo pulmonum mechanismo, ut rectiùs eſſe ſtatuerim in hoc divini CONDITORIS potiùs, quàm animæ peculiarem occultam, ſapientiam mirari. Attentiùs conſideremus, velim, hujusce viſceris à ſapientiſſimo CONDITORE præſtitutam fabricam quoad ejus ſtructuram, quoad ejus craſin. Expendamus intimius ejus ſitum, circumvallationes, actiones, vias impuritatibus afferendis non facile patulas, allatis iterum variô modô reſorbendis educendisque pervias, ad iſtas colligendas, collectasve fovendas non æque aptas, ac alia viſcera magis occluſa & ad ſuſcipiendas & promovendas procliviora. Legamus Anatomicorum obſervationes & experimenta cum hocce interaneo ad intimiorem ejus cognitionem inſtituta. Adſpiciamus illud ipſimet, & nudis, & armatis, oculis. Exploremus non ſolum vaſcula & cellulas, ſed hôc fine præſertim fibram pulmonalem omnino firmiorem, nec laxam, utut laxior inde oriatur compages. Caveamus igitur, ne hanc confundamus cum illa & à ſpongioſo celluloſo texto ad ipſam fibrarum, ex quibus fit, laxitatem & infirmitatem argumentemur obiter. Cogitemus hæc & alia, brevitatis causâ omittenda. Tum, ſpero, haud ampliùs ad miraculum usque comprehenſu erit adeò difficile, *cur phthiſis eveniat tam paucis, immo pauciſſimis (ſi ad reliquos comparentur ab hoc malo liberos) & vix milleſimo cuique,* ut verba habent laudati AVTORIS.

§. 57.

Ceterum equidem jam non teneor allatas (§. 54, 55.) *tabis cauſas* harumque rationes fuſiùs hîc explanare. Sufficiet eas tantùm adducere, quæ in præſenti *Phthiſico* ſuam exercuerunt tyran-

tyrannidem. Inter remotissimas, si non primas planè omnium, in historia dictorum malorum, origines deprehendemus facilè *sanguinis plenitudinem*, fecundissimam plurimorum morborum in sedentariis & diætâ lautâ utentibus matrem. vid. diss. *Exc. Dni* PRAESIDIS *de polyæmiæ nosolog.* §. 125. Infelicissimam fraudulentæ hujusce genitricis sobolem *spissitudinem* esse, evictum habemus omnes. Inde ulterior morbosa progenies in NOSTRO pariter; inde in ejus abdomine hujusque visceribus, ventriculo, tubo intestinali, mesenterio, hujus glandulis, liene, hepate & vicinis procul dubio ac maximâ veri specie, partibus omnibus, *oppletiones, distensiones, compressiones*. Inde *motus peristaltici, toni* in reliquis abdominis partibus, perturbationes, jam *spasticis* contractionibus, jam *atoniis*, alternis vicibus, modò ultrà naturalis fibrarum elateris gradum aucti, modò infra illum imminuti. Inde exilissimorum vasorum primò *compressiones, stagnationes, infarctus*, ab initio leviores, postea sensim graviores. Sub hac naturæ lucta indies augebantur mala. Per tot impedimenta eluctari nescia, quousque licuit, substitit in ejusmodi renixibus, quorum adparatum, *malum* κατ' ἐξοχὴν, in viris *hypochondriacum*, in fœminis *hystericum*, nuncupamus. *Malo* enim *hypochondriaco* laborâsse NOSTRUM, morbi historia testatur (§. 3.).

§. 58.

Potuissent omninò hæc (§. 56.) omnia in multiplices alios morbos præcipitem dare luctantem naturam, in eos v. gr. adfectus, qui plerumque desinunt in - - *gra*, qualia vulgò dicuntur: *podagra, gonagra, coxagra*, &c. item in *nephriticos, calculosos, cruciatus; in mictum cruentum* &c. Verùm ad præoccupanda tristia & dolorifica hæc vitæ subsidia tutiora tentantur molimina *hæmorrhagica, hæmorrhoidalia* nempe. Atat, proh dolor! eventus non respondet hisce conatibus, aliâs salutiferis. Natura

incidit in scyllam, quæ vult vitare charybdin.

Ecquo fatô, an suâ, an alienâ culpâ id infortunii accidit? certè non suâ. Sin autem alienâ, ex quanam tandem? an Ægri? an Aliorum? Et quorum ex his? an verò uttorumque?

Et túm quorum præcipuè? hæc omnia aliquatenùs prodit morbi hiſtoria. Ad amuſſim verò id exquirere, non ampliùs licet.

§. 59.

Ita verò (§. 58.) non aperta eſt *porta malorum*, quam dicunt *venam portarum*, cruoris circulo in abdomine proſpicientem. Sin enim fuiſſet *aperta*, *porta* fuiſſet fortè *ſalutis* in hoc ut in aliis ſubjectis congeneribus, *porta* ſaltem *minorum malorum* ad evitanda majora, ſed occluſa velut manebat impeditô ubique propè iſtam circuitu laticis vitalis. Adcumulatus heîc cruor exitum quærebat per dictam portam, nec inveniebat. Hinc *nova* aperitur *malorum porta*, in ventriculo & hepate maximè. Videſis triſtem hiſtoriam (§. 5, 7, 8, 9.).

§. 60.

Hæc (§. 55-59.) ſi perpendimus & ad reliqua anatomica, phyſiologica & pathologica principia (in iſta enim altiùs deſcendere à ſcopo alienum foret) haud ampliùs in obſcuro erit, qûi factum ſit, ut ita phthiſicus evaſerit NOSTER. Nemini enim, vel in foro noſtro tyroni, non cognitum eſt, heîc locorum locatam eſſe eam culinam, in qua in animali œconomia præparantur nutrimenta in iſta ubique neceſſaria. Heîc Chymi, heîc chyli, exiſtit officina, ex qua depromitur ros nutritius iſtô longè adhuc ſubtilior. Heîc reliqua viſcera, ſine quorum ſubſidio nulla laudabilis digeſtio. In NOSTRO bilis officinam labem concepiſſe, apertè legitur in morbi hiſtoria (§. 11.). Hanc priùs jam adfuiſſe, quàm ſeſe ita manifeſtabat, quis dubitaverit? Hoc ſine menſtruo autem principali labeſcit chylificatio. Hanc, quæ alia perturbaverint, ex dictis (§. 56-58.) pateſcit? Deficiente autem, vel corrupto chylo, deficit & corrumpitur ſanè omnis nutritio. Qualis enim chylus, talis ſanguis, qualis ſanguis, talis ſuccus nutritius, talis ergò nutritio, i. e. vel nulla, vel perverſa. Videmus adeoque concatenatas *phthiſeos cauſas* in præſenti ſubjecto ad ſceleti exemplar ferè conſumtô (§. 3, 4, 11.). Et ſic itur ad *phthiſin* hâc quoque

que viâ. Ecce! triſte exemplum tabis *abdominalis*, *viſceralis*, nominatim HAEMORRHOIDALIS.

§. 61.

Nonne verò, ad iſta (§. 16.) poſſet excipi, nonne hæc *phthiſis* potiùs fuit *hypochondriaca*, ob dictum in hiſtoria malum (§. 3.)? Nonne *gaſtrica* quoque, ob allata ibidem de ventriculi paſſionibus (§. 5, 6, 8, 9, 11.)? Nonne ideo ſaltim rectiùs in *genere abdominalis*, *viſceralis*, fuiſſet dicenda? Nonne inter hujus ordinis cauſas morboſas referendæ reliqui nominati morbi, *febris* iſta? *purpura* hanc inſequuta *chronica* (§. 2.)? Nonne *altiores* præter dictas delituerunt illius *cauſæ* hîc addendæ? Articulatim ad harum quæſtionum ordinem reſpondebo. *Primo malum hypochondriacum*, *deinde ventriculi pathemata*, in hoc ſubjecto *ſymptomata* fuerunt potiùs, quàm *cauſæ hæmorrhoidalis negotii*, utut non negaverim in progreſſu evaſiſſe *cauſas* ex parte *concurrentes*. *A potiori* verò *fit denominatio.* Largior *tertio* multum ubique paſſa fuiſſe viſcera omnia abdominalia, ideoque ſub hiſce pathematibus ſymbolum ſuum contuliſſe. Sed recurrit modò data reſponſio. Deinde quicquid paſſa, id omne primariam rationem ſuam habuit in *hæmorrhoidum* anomaliis. Undè minùs determinatè eam dixiſſemus *abdominalem*. Nec *quarto* abſolutè excluſerim *febrem* illam. *Febres* enim felici criſi non exſolutas & malè tractatas *phthiſin* pediſſequam habere quandoquidem, innui ſupra (§. 53.). At *hæmorrhoidarius* fuit ante iſtam, nec notabiliores moleſtias inſequutas eam eſſe, in dicta hiſtoria legimus. Idem de *purpura*, quâ laboravit æger, dicendum eſt. Habuit fortè, quod *ultimum* eſt, hæc *phthiſis altiores radices*, ſed de his nil habet hiſtoria, & ſi etiam haberet, maneret tamen mali denominatio à potiori deſumta. Ergò rectè eum diximus *phthiſin hæmorrhoidalem*.

§. 62.

Atat ſub hiſce (§. 61.) dubitatiunculis *dubitatio* ſubit alia majoris momenti, quàm iſta. *Illuſtrem Phthiſicum noſtrum* diuturnioribus lucubrationibus ſæpè ſæpius exercitatum fuiſſe,

 ob

ob muneris sui (§. 2.) rationem, credere par est. Nonne itaque *somnum* & *vigilias* hîc quoque in considerationem trahere oportet? Ita sanè. Sed, ut ajunt, quod differtur non aufertur. Ad *causas non morbosas*, vulgò hasce referunt *res*, ad *res* nempe, neque *naturales*, neque *præternaturales*, quas incompletè vocitant *morbosas*. Ad *non morbosas* verò eas equidem referre non potui, ad *morbosas* istas referre, adhuc *inusitatum* est. Hinc *consuetudinis tyrannide* seductus, addere eas, feré planè fuissem oblitus. *Morbosis morborum causis* istas itaque apertiùs accenseo. *Morbosisne?* forsan ambigui sciscitantur nonnulli. *Morbosis* omninò, non quidem novaturiendi studiô vulgato loquendi usui obloquuturus. Verùm quia res ipsa id jubet. Quo in casu veriora cedunt usitatis. Accipe *sententiæ demonstrationem. Somnus* & *vigiliæ* status denotant non *externos*, sed *internos*, ut somniare dixeris, aut somnolentiorem sub vigiliis ipsis cogitare, qui se extra se, aut somnô, aut vigiliis se adfici dixerit. Si *interni* hi sunt status, & animæ, & corporis ratione, quis istas, quæso, cum *Ill.* BOERHAAVIO aliisque ad *externas* retulerit ampliùs? Quis præterea negaverit, *istarum esse* alias *naturales*, alias *præternaturales*? *Præternaturales* esse status, qui naturæ alicujus subjecti repugnant, omnes in confesso habent. *Somnum* itaque & *vigilias*, vel excessu, vel defectu, peccantes statibus corporis animalis *præternaturalibus* annumerari oportere, pariter in aprico est. Sunt igitur hi status, primo *præternaturales*, deinde *interni*; sed omnis status corporis alicujus substantiæ vivæ *internus* & *præternaturalis* est morbus. *Ergo* SOMNUS & VIGILIAE, si PRAETERNATURALES sunt, h. e. vel excessu, vel defectu, peccant, *status sunt morbosi*, SUNT MORBI. Q. E. D.

§. 63.

Non reformidat hæc (§. 62.) demonstratio *objectionem v. gr.* à vermibus petitam, qui omninò non sunt morbi. Facilis enim est ad hanc æquè ac alias, quæ heîc moveri possent, objectiunculas, responsio. Sed his jam non immoror & redux in viam de nostro *phthisico* assero, insigniorem fomitem ipsius

malo

malo mortique certissimè præbuisse illius protractas sæpe & speculabundas *lucubrationes.* Hic enim quoque valet tritum:

Quod caret alterna requie durabile non est.

Phthisi aliisque morbis & morti denique invigilant, qui excedentibus lucubrationibus invigilant. Morbosæ jam in se hæ sunt vigiliæ & multorum morborum effectrices causæ, quemadmodum contrà pigrorum somnus ipse est morbus. *Phthisin* verò producere posse nimias vigilias, demonstratu facile est. *Phthisis* à nutritionis penuria dependet. Naturalem verò somnum nutritionem promovere experientia & Medicorum observationes docent. HIPPOCRATES eorum, quæ sanitatem morbosque concernunt, solertissimus indagator, suo jam tempore id perspexit, unde *Epid. Sect.* 4. adpositè dixit, *laborem esse cibum articulis & carnibus, somnum autem visceribus.* Hinc in sua *de tuend. & conserv. valetud. Synopsi C. VII. p.* 78. FOLLINUS: *omnis potentia, quæ actum habet determinatum, quando excedit modum in operando, fatiscit & lassatur & nisi quiescat, aut ab operatione cesset, dissolvitur ac tandem corrumpitur.* conf. BOHNIUS in *circulo anatomico-physiolog. prog. XXX.* WOLFG. WEDELIUS in *diæta literatorum.* HERM. BOERHAVE in *Instit.* §. 768. *vigilia*, inquit, *nimia consumit spiritus nulla arte, nisi somno, reparandos; exsiccat reliqua; atterit solida minima, inprimis cerebri; auget acre; coctiones nutritionesque impedit.* Quemadmodum igitur IOACH. GOTTL. SEIBT dissertationem scripsit *de somno, morborum causa*, ita utilis foret alia *de vigiliis, morborum causa.*

§. 64.

Nec obstat, confirmat potiùs hoc (§. 63.) assertum SANCTORII doctrina, qui *Medic. S. IV.* §. 48. etiam ipsis vigiliis non frangi, sed roborari, censuit functiones animales. Certè enim hîc loquutus est de vigiliis tempestivis & naturæ convenientibus. PLATO *de Leg. III.* eos, qui sapere & vivere volunt, multô vigilare tempore jubet quidem, atat servatâ valetudinis commoditate. Pervigilia immoderata *tabem* excipere posse, BOERHAVE innuit quoque, qui somnum plus quam reliqua omnia in pinguefaciendo corpore præstare observavit

servavit. vid. *Præl. Acad. Bœrh. ad instit.* §. 768. *in Comment, de* HALLER *Vol. VI. p.* 144.

§. 65.

Atat cessat, quod hîc (§. 63.) in optatis habeo. Calamum modò sepositurus, ecce! recentiores inter dissertationes academicas unam capto, quæ huic desiderio satisfacit, doctissimam illam nempe Goettingensem de *doctarum lucubrationum* noxis, quam sub moderamine *Cel.* G. GOTTL. RICHTERI tuebatur IOH. BARTH. IENISCH. Citari indè & coronidis locô hùc trahi merentur omninò, quæ hanc in rem l. c. §. V. p. 12. seqq. hisce edisseruntur: *nequit profectò cerebrum, nequeunt teneri nervi, nisi induciæ dentur, quæ vigilis vitæ sistunt dispendia, illis functionibus cum quadam constantia sufficere.* Pervigilium *est status sensorii communis continuô motu irritati, cum majori nervorum spirituumque mobilitate. Plus in eo statu consumi spirituum, quàm reparari, res evidens est inter majora, tunc ad plures functiones, impendia, & ideo somnum, in quo nobiliorum partium ministeria cessant & plus spirituum reparatur, quàm consumitur, sapientissima naturæ lex interposuit. Utraque noxa, tum quæ ex subtilioris liquidi penuriâ, tum quæ ex perenni attritu partium tenerrimæ fabricæ nascitur, novam pandit malorum scenam. Necesse est dissipatô tenui inter protractas functiones animales, reliquam humorum massam spissitudine & acrimoniâ laborare. Nullus verò celeriùs humor in acrimoniam degenerat, quàm bilis, quæ velut sub somni placidiori & æquabiliori motu mitescit, ita palàm facit, cur neminem magis, quàm cholericos,* qualis fuit Noster (§. 1.), *longæ vigiliæ offendant ..... Nutritio, quod probe notandum est, situm partium naturalem exigit, remittente omni tensione, remittit autem in somno. In vigiliis verò partibus tensis & motu inæquali ac sæpe opposito agitatis ægrè nec tutò alimonia procedit.* Hinc phthisis ut jam dixi (§. 63.) *Ad hæc*, pergit laudatæ dissertationis AVCTOR §. VI. *pervigiliorum damna accedunt alia, quæ ex vita sedentaria emergunt, nec ideo plebis lucubrationes facile comitantur. Omne corpus, si infantem in utero excipis*, (nec equidem tamen plane excipiendum esse putaverim) *sub eodem*

situ

ſitu fit immobile, omnis muſculus diu quieſcens rigeſcit, ipſæ ad catenam feræ agilioris motus ſui plurimum amittunt. Ut fibrarum, quæ ſibi commiſſæ in mutuo partium contactu jam arctiores plus ſemper reſiſtant internorum motuum legibus, flexilitas conſervetur, extendi crebrò eas & laxari, opus eſt. Unde præter ingens propriæ fabricæ beneficium perennis CORDIS *flexilitas & durabilior motus pendet.* L. c. §. VII. hæc adduntur : *alia etiam ratio occurrit, cur Eruditorum lucubratio, præ illa, quæ plebis eſt, corporis adfligit valetudinem . . . Cerebri nervorumque apud Eruditos contentio partem adficit, quæ ob teneram fabricam moderatô exercitiô & crebrâ quiete ac refectione eget, reliquas partes in otio, quo marcent, relinquit. Longa meditatio conſumit ſpiritus, horum materia, ob motum, tum vitalem, tum muſcularem, in ea præparanda neceſſarium & jam languentem, haud reſtituitur ſatis, hinc ſub illa penuria* ERVDITI IMPALLESCVNT LIBRIS ET ENERVANTVR. *Inter perſeverantium meditationum tentamina magis magisque exhalat mobile, craſſius imminuto motu accumulatur & læſa jam coctione & ſecretione vires cordis & cerebri elangueſcunt, chronicarumque obſtructionum, maxime in imo ventre,* ut in Noſtro (§. 57.) *infeſta figitur ſedes.* En! quot qualesque habuerit cauſas vitæ illius

F I N I S.



NOBI-



NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

DN. CANDIDATO, ADFINI

SVO AESTVMATISSIMO,

S. P. D.

PRAESES.

Morborum matrem omnium fœcundissimam frequentissimamque animali in corpore, nostro itaque quoque, esse humorum, sanguinis præsertim, plenitudinem, quam plethoram *dicunt, ab oculatioribus naturæ consultis dudum observatum est luculenter, indeque &, quod ajunt,* à priori *pariter demonstratum sufficienter ac proinde supra* (§. 57.) *repetitâ vice inculcatum jure meritoque. Nec minùs in confesso habemus omnes, infelicissimæ hujus & fraudulentis sui blanditiis tot miseros decipientis meretricis filiam esse sanguinis humorumque reliquorum* spissitudinem, *ad qualescunque fluidorum æquè ac solidorum anomalias* corruptionesque *ingerandas adeò proclivem. Ecquis verò, quæsumus, ex hac filia nepotes neptesque vel nominetenùs tantùm potuerit enumerare, aut quovis nomine dignis articulatimque inscriptis characteribus designare omnes? Proh! infortunatissimæ prosapiæ* MORBOSISSIMVM NEPOTISMVM, *quàm* POLITICVM, *sanè haud minùs sæpè, semper*

per inquam, lubrica nec ſatis ponderoſa perquam difficilè, ſeveriſſima verò & optima quævis conſilia nunquam non difficillimè admittentem, quin imo in publica detrimenta plerumque planè reſpuentem! Tantane, ambigis, utriusque NEPOTISMI *impedimenta? Tantane fuerunt præſentis? Ita ſanè! Ideone, addis, immedicabile hoc fuit malum & tantorum Virorum ante communicatis conſiliis obtemperare neſcium? Mortem audias, ut alibi ſæpiùs, hîc quoque, caſſis conſiliis medicis optimè reſpondentem* (§. 12.). *Atat, juſto ſeriùs, urges, accerſita dicta fuerunt conſilia? Citiora juvaſſent forſan? Verùm non juvarunt citiùs quoque adhibita & ab ordinario Medico præſcripta, ſi non planè eadem, æquè tamen bona & præſentibus ex parte non cedentia. Ex quanam autem parte? ambigendo pergis. Diſſenſum tamen, inſtas, video in iſtis, & quoad morbi ipſius, & quoad cauſæ hujus morbi, cognitionem, & quoad ipſas allatas medendi rationes? Video eundem, regero. Sed video quoque conſenſum in hoc ipſo diſſenſu. Video illum ab hac, ab iſta, medentium parte. Video præterea, quæ cardinem rei tangunt. Video, veneror ſolidiùs dicta. Ec quænam? ultra quæris, à quonam, quibusve pronuntiata? Noſti,* NOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, *meas ad iſta reſponſiones, quas officii mei ratio exigebat omninò.* TIBI *ergo nil ampliùs, quod reſpondeam, habeo. Mihi ipſi hîc reſpondere, abſonum foret. Aliis reſpondere non teneor, utpote nondum interrogatus. Reſpondebo tamen interrogatus. Reſpondebo, ſi cui placuerit præſentis morbi examen practicum. Reſpon-*

debo *eâdem, quâ gaudemus omnes, ſentiendi libertate, eâ verò etiam, quâ par eſt modeſtiâ. Hâc mente hanc, quam ſuis* §. 15. *p.* 12. *addidit* ILL. VAN SWIETEN, *addo clauſulam:* Noviſti probe, quod Medicis liceat opinione inter ſe diſſentire, animô verò nunquam; addo inſuper : ceteris paribus. *Diſpar enim ratio eorum non èſt, quæ debitis ſuffulta ſunt principiis ſolidiorum Practicorum cogitata conſultaque, non quidem, quod ſæpiùs accidit,* per ſpeciem & politicè, *ſed* reapſe, unanimia *audias ad lectos ægrotorum, legas in eorum ſcriptis publicis, relegas in eorum conſiliis privatis. Huic* TVAM, DIGNISSIME DOMINE CANDIDATE, *conſenſui jucundiſſimo* TIBI*que æquè ac ægris* TVIS *exoptatiſſimo nava operam adeo proficuam, nil, quod hactenus feciſti, intentatum relicturus, quod ad ſolidiorem ſpectat Medicinam. Ita verſeris in praxi* TVA *ſub auſpiciis* EXCELL. ET EXPERIENTISS. AVVNCVLI TVI *mox opportunè ſuſcipienda. Ita divinâ ubique fretus benedictione, quoad nempe licet per rerum humanarum tricas, ſubinde ſine multa interpellatione immunis evadas à* MORBISSISSIMO *iſto, quem dixi,* PHYSICO & POLITICO NEPOTISMO. *Vale!*

Dabam

è muſeo d. 13. *Octobr.*

1756.



** * **
* ** *

Wir seh'n mit einem heitren Blick,
Geliebter Sohn! Dein heutig's Glück,
Und preisen GOtt von Deinetwegen;
Ja! schon vor Deine Folgezeit
Steigt ein Gebet zur Göttlichkeit
Um neues Glück und neuen Seegen.

Nur fahre fort mit Deinem Fleiß
Zu unsrer Eltern Ehr und Preiß.
Ihr Angedencken zu erneuen;
So wird sich noch Dein eignes Blut,
Das einst in Deinen Enckeln ruht,
Gewiß biß zur Nachahmung freuen.

Eltern.

** * **
* ** *

Hast Du in Theorie gezeigt was *Phthisis* sey,
So leg in Praxi selbst der HERR den Seegen bey.

Geschwistrige.



* * * * * * * * *

Ja freylich ist Minervens, Zeit
Vor uns das edelste Geschenck der Ewigkeit,
Da haben wir uns vest verbunden.
Da sah'n wir, Liebster Freund! durch unsern Freundschafts-Schluß,
Wie man beysammen leben muß,
Wann man den besten Freund gefunden.

Wird dieser Tag vor Deinen Ruhm,
Wird Er vor Deinen Preiß ein ewig's Eigenthum,
So wird Er auch ein Saamen heissen,
Und dieser wird gewiß bey unsrer Folgezeit
Und jeglicher Gelegenheit
Die Erndte Deiner Arbeit weisen.

Du bist mein allerbester Freund,
Mit dem sich je mein Blut, mein ganzes Herz vereint;
Ach! soll ich Dich dann jezt verlassen,
Empfählt' ich nicht Dein Heyl und Dein zukůnftig Glück
Des Himmels wachendem Geschick,
Ich wollte ewig Dich nicht lassen.

Was geb ich Dir zum Abschied hin?
Wie wann ich noch Dein Freund auch in der Asche bin.
Ein mehrers kan ich Dir nicht geben.
Du sollt mit Deiner Kunst, Du sollt mit Deinem Wiz
Den Sterblichen als eine Stüz
Und als ein Freund der Menschheit leben.

Dem Herrn *Licentiat*en zum ewigen Angedencken
M. Fehleisen,
der H. S. Gelahrheit Beflissener.